



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Stauitur contra hæreticos Catholica veritas. c. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

erit per aliquam Dei similitudinem perfectiorem in vno quam in alio: cum illa visio non sit futura per aliquam similitudinem, vt ostensum est. Sed hoc erit per hoc, quod intellectus vnus habebit maiorem virtutem seu facultatem ad videndum Deum, quam alterius. Facultas autem videndi Deum non competit intellectui creato secundum suam naturam, sed per lumen gloriæ, quod intellectum in quadam deformitate constituit, vt ex superioribus patet. Vnde intellectus plus participans de lumine gloriæ perfectius Deum videbit. Plus autem participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate: quia vbi est maior charitas, ibi est maius desiderium. Et desiderium quodammodo facit desiderantem aptum, & paratum ad susceptionem desiderati. Vnde qui plus habebit de charitate, perfectius Deum videbit & beator erit.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur, videbimus eum sicuti est: hoc aduerbium, sicuti, determinat modum visionis ex parte rei visæ: vt sit sensus: videbimus eum ita esse sicuti est: quia ipsum esse eius videbimus, quod est eius essentia. Non autem determinat modum visionis ex parte videntis: vt sit sensus, quod ita erit perfectus modus videndi; sicut est in Deo perfectus modus essendi.

Et per hoc etiam patet solutio ad secundum. Cum enim dicitur, quod rem vnus alio melius non intelligit, hoc habet veritatem, si referatur ad modum rei intellectæ, quia quicumque intelligit rem esse aliter, quam sit, non vere intelligit: non autem si referatur ad modum intelligendi: quia intelligere vnus est perfectius, quam intelligere alterius.

Ad tertium dicendum, quod diuersitas videndi non erit ex parte obiecti: quia idem obiectum omnibus presentabitur, scilicet Dei essentia: nec ex diuersa participatione obiecti per differentes similitudines, sed erit per diuersam facultatem intellectus, non quidem naturalem, sed gloriofam, vt dictum est.

Notatio circa textum articuli.

Conclusio est: iuxta mensuram charitatis, hoc est meritorum, & sanctificationis in hac vita, vnus alio melius Deum videbit. Est satis certa Theologia, tamen nonnullæ sint circa eam difficultates, quæ sequenti disp. examinandæ sunt. Sed antequam ad eam accedamus, hic obiter ex doctrina art. 2. paucis explicandum est, quid velit Doctor Angelicus, cum asserit, inæqualitatem visionum Dei in Beatis non provenire ex diuersitate specierum, per quas Deus videatur, sed luminis, quod non eodem modo Beatis communicatur. Hic ergo non negat speciem impressam, ex parte intellectus

ad videndum, quam probabimus esse lumē ipsum: sed speciem: qua prius visa Deus videatur, vt disp. 39. explicauimus; atque hac ratione merito negat, Deum inæqualiter à Beatis videri, ex eo quod inæquales forment species ipsius Dei, quæ prius visæ, faciant Deum videri: per has enim Deus non videtur, vt late ibi etiam probauimus. Tota igitur ratio inæqualitatis provenit ex parte luminis, quo instruitur intellectus, vt visionem eliciat: nam secundum quod varie lumine ipso roboratur, varie etiam visionem elicit, vt sequenti disp. cap. 2. fusius ostendemus.

DISPVT. XLVII.

An Deus æque à Beatis videatur.

Statuitur contra hereticos Catholica veritas. c. 1.

Expenduntur tres alij Scripturæ loci, quibus hac eadem veritas probari solet. cap. 2.

Quid patres sentiant de parabola operariorum Matthei 20. cap. 3.

Explicatur parabola ex propria sententia, & satisficit argumento Iouiniani. c. 4.

Primum argumentum contra doctrinam Catholicam soluitur. cap. 5.

Diluitur argumentum contra eandem doctrinam. c. 6.

CAPVT I.

Statuitur contra hereticos Catholica veritas.

Hæresis fuit Iouiniani, vt scribit Hieron. lib. 2. contra ipsum, asserentis, paria esse omnia præmia Beatorum & merita; ac proinde Deum perfectius ab vno, quam ab alio non videri. Sic ille docuit tempore Siricij Papæ, vt testantur Alphonfus de Castro aduersus hæreses verbo, Beatitudo hæresis 7. & Sanderus lib. 7. de visibili monarchia hæresis 87. nam, vt ait idem Alphonfus, sub Damaso fuit monachus, sub Siricio monachatum reijciens, prædictum errorem docuit: an vero idem senserit de æqualitate peccatorum, dicemus in 1. 2. quæst. 73. art. 2. Damnatus est hic error in Concilio Thelensi sub Siricio Papa in epistola Concilij ad ipsam, quæ est 81. inter epistolas Ambrosij, qui huic interfuit Concilio: & in Concilio Florent. sub Eugenio 4. sessione vltima in literis vnionis fuit quoque Catholica veritas definita: videlicet iuxta meritum distinctionem varie etiam Dei essentiam à Beatis videri: quomodo autem in ipsa indiuidua visione varietas hæc possit assignari, cap. vlt. plenius explicabitur.

Contra Iouinianum scripserunt ex Patribus optime Hieron. in eo dialogo, & August. lib. de sancta virginitate. ex recentioribus autem Alphonfus de Castro loco citato: eiusque errorem multis Scripturæ testimonijs refellit Hieronymus, ex quibus alios adducemus.

Primus locus sit Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet: vbi abundans præmij retributio abundanti merito responderet, & minor minori.

Secundus locus Vnicuique autem nostrum statum est gratia secundum mensuram donationis Christi: vbi non est dubium Apostolum loqui de varijs donis gratiæ, quæ Christus, prout sibi placuit, tanquam eaput, membris suæ Ecclesiæ distribuit: nec omnibus idem omnino munus communicauit; sed vt inquit

ibid.

inquit Paulus, *Quosdam quidem dedit Apostolos, quosdam vero prophetas, &c.* Quibus verbis varia Ecclesie membrorum munera indicat. Cum igitur meritis huius vitæ præmium alterius respondeat; cumque in hac Ecclesia militanti Christus varia merita communicauerit; sequitur varia quoque, & disparia præmia in beatitudine referuasse.

1. Corin. 15.
Pauli locus de resurrectione exponitur.

Chrysostr.
Theodoret.
Theophyl.
Oecumen.
Primasius.
Beda.
Hieronym.
Augustin.

Est tertius locus quo iuxta omnium Græcorum, & Latinorum Patrum interpretationem, hæc eadem veritas videtur expressa: ibi enim loquens Paulus de futura corporum resurrectione, quam aliqui impossibilem esse putarunt, inquit: *Alia claritas Solis, alia claritas Luna, & alia claritas Stellarum: Stella enim à stella differt in claritate, sic erit resurrectio mortuorum.* Quem locum præter Chrysostr. Theod. Theophyl. & Oecumenium, Primasium, & Bedam, aliosque Latinos patres, in eam sensum intellexerunt Hieron. 2. lib. contra Iovinianum, & Aug. lib. de Sancta virginitate c. 26. ut probarent disparia futura meritum præmia in alia vita: quorum expositio mihi maxime placet. Cum enim Paulus ibi egisset de futura corporum resurrectione, proposuit dubitationem his verbis: *Sed dicit aliquis quomodo resurgunt mortui: & reponder hoc modo: Inspiciens tu quod feminas, non vniuscuique, nisi prius moriatur: & quod feminas, non corpus, quod futurum est. feminas; sed nudum granum; & prout tritici, aut alicuius ceterorum: Deus autem dat illi corpus sicut vult, vnicuique seminum proprium corpus: ergo hoc exemplo ostendit Deo non esse impossibile, post mortem corporis nostri iterum nos ad vitam reuocare, & dare nobis corpus, & vitam prout femina meritum postulauerint.*

Deinde ostendit, diuersitatem corporum à Deo posse produci, his verbis. *Non omnis caro eadem caro, sed alia hominum, alia pecorum, &c.* Et hæc in animalibus: in alijs vero hoc modo, *Et corpora caelestia, & corpora terrestria, supple sunt: Sed alia quidem caelestium gloria, hoc est pulchritudo, alia autem terrestrium: alia claritas Solis; alia claritas Luna, & alia claritas stellarum: stella enim à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* Quorum autem Paulus dixisset Deum tribuere femini corpus, vnicuique secundum propriam virtutem, & tantam corporum varietatem à Deo factam ostendisset, ut inde declararet resurrectionem mortuorum, dicens, *Sic & resurrectio mortuorum, nisi in ea vellet meritum, & glorie diuersitatem declarare?* Bene video deinde Paulum, cum exemplum, quod adduxit de femine, applicat resurrectioni, solum in eo comparisonem obseruasse, quod seminatur morte corpus animale, resurgit autem spirituale, hoc est, immortale, ut ex sequentibus verbis constat: nunquam vero ad diuersitatem meritum exemplum accommodasse, ac proinde dicere posset aliquis, illam corporum varietatem adductam solum fuisse à Paulo, ut ostenderet, Dei sapientiam, & omnipotentiam, qui nouit tot, tamque diuersa corpora rebus diuersi, imo eiusdem generis creare: ut ita staderet, posse quoque Deum corpus animale, & mortale, quod in hac vita moritur, & morte ipsa quasi seminatur, in incorruptionem proferre: verum prior expositio, præsertim quod Patrum auctoritate roborata, & confirmata sit, mihi magis probatur. Hanc eandem Catholicam veritatem tradunt Patres, quos hæcenus citauimus: argumenta vero, quæ contra eam fieri solent, inferius solentur.

Expenduntur tres alij Scripturæ loci, quibus hæc eadem veritas probari solet.

Præter hæc Scripturæ testimonia, alia quoque adducit Hieron. in dialogo citato, quæ si recte quis consideret, non ita efficacia videbuntur: ex quibus tria tantum placuit referre. Primus est *Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum.* Vbi autem minimus est, maior esse debet: ergo non omnes sunt æquales in regno caelorum. Ceterum, ut sequenti edicemus, eo loco Christus voluit, non significauit, huiusmodi Doctorem futurum quidem in gloria caelesti, in infimo tamen gradu: sed minimum dixit: hoc est, nullo modo admittendum, nec in eis sitos connumerandum: loquitur enim de eo, qui docuerit, sed non seruauerit totam legem: hic autem proculdubio non est futurus particeps caelestis beatitudinis: quare ex illo loco nihil probari potest.

Sed obijciat aliquis, eo loco sermonem esse de præceptis minimis, quorum transgressio solum est veniale peccatum, & de his dixisse Christum, *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum.* Hoc est, minus habebit præmij in beatitudine. Hæc tamen expositio vera esse non potest: nam magnitudo præmij ex magitudine, & multitudine meritum, & gratiæ pensari debet: contingere autem potest, ut qui soluerit vnum de mandatis minimis, hoc est obligantibus solum ad veniale, habeat maiora merita, & plus gratiæ, quam alij, qui non soluerint: sic autem non erit inferior in beatitudine, sed multo maior, postquam in purgatorio soluerit penas.

Secundus locus est *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista: qui autem minor est in regno caelorum, maior est illo.* Ergo si in regno caelorum, hoc est, in æterna beatitudine est aliquis minor, qui comparatus Ioanni, maior est illo, sequitur non omnes futuros æquales in beatitudine. Verum illis verbis non fuisse Christum locutum de sanctitate Ioannis apud Deum, cum ipsum comparat ceteris natis ex mulieribus, nec in sanctitate ipsum ceteris omnibus prætulisse, aut asseruisse nullum ipsi præferendum, existimat Iansenius in c. 47. Concordiæ Evangelicæ: tamen si eodem capite alijs verbis sanctitatem Ioannis Christus prædicauerit: idque constat manifeste ex contextu Luc. 7. cap. *Dico vobis, maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est: & quamuis aliqui Græci in Luca etiam non addant particulam, & προφητης Latine propheta, tamen vulgatus codex latinus emendatus eam ponit, & contextus eam postulare videtur, in dignitate igitur prophete Christus Ioannem alijs præfert, non in meritis, & sanctitate apud Deum, quam quidem dignitatem exprimebat volens, paulo ante vocauerat ipsum plusquam Prophetam, quod non tantum spiritu prophetico nouisset, Christum esse verum Messiam, cum antea non vidisset; sed etiam digito monstrasset. Id autem quod statim subdit, & instituto Hieronymi seruire videbatur, *Qui autem minor est in regno caelorum, maior est illo,* non eodem modo omnes interpretantur. Quidam enim de Angelis, qui tunc erant in regno beatitudinis intelligunt, ut sit sensus;*